

duplex iniquitas, ideo palliata veritas et ficta simplicitas duplicata est iniquitas. Porro questuarius secta est deo odibilis, lingua loquax est et mendax et venter insatiabilis et vorax. Haec autem sunt, quae patri et provisorii pauperum in membris suis et maxime in religiosis displicet, sicut factum subscriptum testatur. Accidit enim aliquando, ut fratres monasterii in Hegene necessitate cogente pro colligendis Christi fidelium eleemosynis nuntios circumquaque ad provincias dirigerent, ut eleemosynarum subsidio adiuti aedificia monasterii sui, quae vorax flamma ignis diruerat, denuo reformarent. Verum quia domus Hegene tunc constructa fuit paupertate et nequaquam suppetebant facultates propriae, saltem hoc fieri licitum putabant adminiculo subventionis extraneae. In conspectu autem patriarchae pauperum non placuit istud humanum consilium et dilecto servo Conrado suae voluntatis beneplacitum manifestavit dicens: „Nunquid abbreviata est manus auxilii mei, ut non possim alias ditare inopiam fratrum tuorum quam^b per hominem conquirentem eleemosynas non in libertate spiritus, sed in ambitione questus?“ Et addidit: „Eleemosyna saepe pro nomine meo offertur, quae a malis pluries malitiose dilapidatur. Dic ergo eis, ut nuntios emissos incunctanter revocent et deinceps alios non emittant. Crastina enim die ex instinctu meo homo venturus de oppido Frankenberg¹² per pietatis eleemosynam vestram ditabit inopiam.“ Evenit igitur, sicut dominus praedixit, et adveniens homo ille benedictionem quadringentarum marcarum obtulit et pro se orationem institui postulavit. Nec conventus revocationem nuntiorum distulit, quam cito voluntatem dei ex ore Conradi recognovit. Sicque factum est, quod indigentiam conventus suppleret opulenta devotio mediatoris, quod negotium fuit omnino calliditatis exactoris.

Cap. 22 [De collisione artificis eiusque curatione]

Ut quasi manu sollicitudinis excitati simplicitati ordinis nostri invigilemus et oculos divinae maiestatis nulla superfluitate in oratoriis nostris offendamus, animadversionem, quam transgressor a domino sustinuit, nobis ad cautelam et curationem eius ad dei gloriam similiter in uno miraculo gaudeamus. Frater Henricus lapicida¹³, artifex realis, dum

b) quoniam *W_I*.

12) *Frankenberg (Eder)*.

13) *Ein frater Henricus lapicida ist 1273 bezeugt, vgl. UB Haina 1 (wie S. 20 Anm. 20) Nr. 598.*